

procurante dicto Patriarcha, pax firma inter dictos Papam, & Imperatorem facta est. Propter quod idem imperator multa privilegia Aquilejensi Ecclesie dedit, dataque, & concessa confirmavit. Ejus corpus in presenti in Aquilejensi Ecclesia requiescit.

Gerardus Patriarcha sedit annos IX., qui bonis moribus, & bonis operibus plenus in dicta Civitate Austriæ feliciter migravit ad Christum, & optimè rexit Ecclesiam suam antedictam.

Peregrinus Patriarcha primus sedit annos XXXI. Tempore istius fuit Henricus Secundus in Aquileja. Hujus etiam tempore Lotharius à Papa Innocentio Secundo coronatur, cui Coronationi interfuit idem Peregrinus Patriarcha, & de Regalibus largitionibus ab ipso Henrico Imperatore investitus fuit.

Peregrinus Patriarcha II. sedit annos XX. menses VII., dies III. Hic cum Conrado II. Imperatore cruce-signatus ad prædicationem. Beati Leonardi Confessoris circa annos Domini MCXXXVIII. unà cum Rege Franciæ mare transivit ad Infideles, & rediens cum eodem, vitæ suæ in Aquileja diem in Domino clausit extremum.

Gotfredus Patriarcha sedit annos XXII. De Regali profapia fuit. Ecclesiam, & totam Provinciam suam mitabiliter auxit, ditavit & honoravit. Hujus tempore Federicus Primus anno Domini MCLIII. per Papam Hadrianum IV. est coronatus Imperator, & hic Patriarcha huic Coronationi interfuit.

Vodalricus Patriarcha sedit annos XX. menses VII., dies VII. Qui Legatus Apostolicæ Sedis factus est, & Federicus Imperator primi Consanguineus. Ab Hadriano IV., & Alexandro Tertio confirmationes privilegiorum suorum obtinuit. Huic etiam dictus Federicus omnia privilegia Imperialia, & Regalia confirmans, sibi etiam Marchiam Histriæ, & Carniolæ Ducatum, & Comitatum Fori-Julii, & multa alia Loca, & Castra, & Terram inter Plavim & Lipientiam jacentem confirmavit. Dedit etiam Ecclesie Aquilejensi de Imperiali largitione Montem-Silicis, qui est juxta Paduam per X. milliaria, cum omnibus suis appendiciis. Et post reconciliationem factam inter Alexandrum Tertium, & ipsum Dominum Imperatorem, ipse Alexander fecit dictum Vodalricum per totam Italiam Vicarium suum Generalem. Hic duplici Legatione, scilicet Papali, & Imperiali coronatus fuit. Jacet in Aquilejensi Ecclesia, in cujus monumento inscripti versus descripti, & sculpti sunt:

*Alter Voltricus jacet hic Patriarcha benignus,
Fluctibus illasam Schismatis Ecclesiam
Rexit, ditavit, Fratres vos ipse beavit;
Cum justis maneat, gaudia multa habeat.*

Peregrinus Tertius Patriarcha sedit annos XIV. menses VII., dies III. Ille reedificavit Ecclesiam Civitatis Austriæ, quæ cum omnibus libris, & Thesauris exusta fuit, fecitque in ea tabulam argenteam, & alia mirabilia clavodia auro, argentoque contexta, & eam multis bonis ditavit. Sed pulchriorem fecit in Aquilejensi Ecclesia, quæ pignora longo tempore per incuriam Pastoris fuit Venetiis, & quam Veneti hodie servant pro pretioso Thesaurò. Ille primus cepit amicitiam, & pacta contrahere cum Venetis.

Volkerus Patriarcha Beatus sedit annos XIII. menses VII. Hic ab Henrico V. & Ottone IV. Confirmationes privilegiorum Ecclesie suæ obtinuit.

Tom. XVI.

A tinuit, & coram eis, & coram Federico Secundo Marchionatum Histriæ, quem Dux Baviaræ Ludovicus nomine, tenebat, per Principum sententias obtinuit. Et facta eidem resignatione per dictum Dominum Ducem de hoc Marchionatu, per omnes tres Imperatores successivè præfatus Dominus Patriarcha investitus est. Cui etiam Otto prædictus Montem-Silicis donavit cum omnibus Juribus suis. Hic multa Sanctitatis opera in vita sua fecit, quæ Deus post ipsius mortem mirabiliter ostendit usque in hodiernum diem; nam ejus Archa marmorea in Aquilejensi Ecclesia in aère pendeat visibiliter stans circumquaque per quatuor digitos super terram. Et nunc ab uno angulo terram tangit modicum, aliis tribus angulis minimè terram tangentibus. Tempore verò ruinationis Ecclesie prædictæ ab omnibus partibus manet super terram usque in hodiernum diem.

B Bertoldus Patriarcha sedit annos XXIII. menses IV. Ille filius Ducis Moraviæ, patruus fuit Beatæ Heliabet, quæ filia fuit Regis Ungariæ, cujus Beatæ Heliabet mater fuit foror dicti Patriarchæ Bertoldi. Hic Archiepiscopus Collocensis existens, in Patriarcham assumptus est. Qui Federico Secundo adhærens usque ad ejus depositionem, multos honores, multaque privilegia, & gratias obtinuit ab eodem. Et multa bona unà cum patre, & matre, Ecclesie contulerunt, & potissimè in Carinthia, & Marchia Carniolæ. Cui prædictus Imperator etiam Montem-Silicis inter alia tradidit. Hujus tempore Ezelinus de Romano tyrannidem exercebat. Et licet idem Bertoldus indignationem, eo quod adhærebat Federico Imperatori, Sedis Apostolicæ incurrisset, ad Romanam Curiam cum Magna Baronum, & Nobilium Comitiva accessit, & ibi magnalia multa ostendens, ab Innocentio IV. gloriôsè susceptus, gratiam, & benedictionem obtinuit. Et rediens de Curia Romana post aliquod tempus multa dimittens de proprio Patrimonio Ecclesie, in Aquileja felici pace quievit. Cujus Corpus jacet in introitu Ecclesie memoratæ infra Ecclesiam. Et dicitur, quod quando primò Ecclesiam intravit, ubi nunc est monumentum ipsius cespitavit fortiter, & statim ibi dixit: *Hæc requies mea in seculum seculi, hæc habitabo, quoniam elegi eam.* Hic etiam B. Odorici edificavit in Utino.

C Gregorius de Monte-lungo sedit annos XIV. menses VIII. Hic factus Patriarcha per Innocentium IV. anno Domini MCCLIII. venit ad ipsam suam Ecclesiam. Hic, antequam esset assumptus ad Patriarchalem dignitatem, existens Notarius Papæ, missus fuit legatus contra Fridericum jam depositum de Imperio. Qui dum Parmam obsideret, Parmenses videntes auxilium sibi paratum, egrediuntur, & idem Gregorius unà cum Parmensibus Exercitum Friderici aggressi sunt, & spoliis acceptis ipsum Federicum cum Exercitu suo non sine magno damno, & opprobrio expulerunt. Hic gloriosus Antistes multa laudabilia opera operatus est; multas guerras pro libertate Ecclesie suæ cum Comitibus Goriciæ perpeffus est, & tandem Ecclesiam suam, dum vixit, potenter protexit. Mortuus est in Civitate Austriæ, quam intimè super aliis locis diligebat, cujus Corpus in pace quiescit juxta Corpus Beati Paulini Patriarchæ anno Domini MCCLXIX.

D Eodemque anno electus fuit Philippus Dux Charintie, quem Dominus Gregorius Decanus voluit confirmare. Sed factus fuit generalis Capitaneus Ecclesie Aquilejensis. Et vacavit sedes

B

ant